



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Palatia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

cælum? *Noli circumspicere in vicis civitatis, ne oberraveris in plateis illius, Eccl. 9. Otiosus & vagus Gassen-Tretter. Ne Diabolus occasionem & materiam habeat ad varia te peccata inducendi.*

*Palatia.*

**E***Ram florens in palatio meo, & cogitationes mea in stratu meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. Dan. 4. Sic in Palatiis habitantes sæpè plus phantasiis tetricis, in somniis, aliisque pungentibus curis turbantur, ac habitantes in casis ac tuguriis. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit David Regi filium sapientem, ut edificaret domum Domini, & palatium sibi. 2. Paral. 2. Sic benedicendus Deus à regni incolis, quibus dedit Regem, qui primò quaerit gloriam Dei, dein sua honesta statumque suum decentia commoda, nec ædificat pompa varia & mox destruit. Unde exhauriuntur æraria, & nummi pro necessariis utilioribusque rebus defunt. Ædificiis à Salomone extractis nil fuit in orbe simile, & tamen jam nec umbra ex iis restat. Sic omnia vanitas. Utinam quia omnis homo ibit in domum aternitatis sua, Eccl. 12. major magnis Dominis cura esset pro mansionibus in vita altera & totâ aternitate habendis. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt (Palatia, ædes magnificæ) sed beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Pl. 143. Talis populus habitat in religiosorum domibus.**

Cri-



Critizant Sæculares aliqui, quòd religiosorum domus sæpè sint tam magnificæ ac Palatia. Sed præterquam, quòd inclytus ille Bavarix Dux Gulielmus dicere soleret pro servis Dei nil satis magnificum extrui posse, hoc nihil ad me, nec ad critizantes, qui nil ad id contribuunt, & ratione maledicentiæ aut livoris non sunt laudandi. Suppono 1<sup>mò</sup>. Quòd, dum magnificæ ædes religiosæ extractæ sunt, merces operariorum non sit defraudata, nec sine justa causa contracta debita. Restant autem multa vel omnia sæpè solvenda à Magnatibus, qui magnificæ extruxerunt palatia; dum propria ac subditorum æraria sæpè sunt emuncta, & debita contracta cum damno irreparabili. Suppono 2<sup>dò</sup>. Quòd viri religiosi in magnificis habitantes ædibus non evanescent in cogitationibus suis, disciplinam ac regulas servant, nec sit in tam amplo ædificio monstrantia magna, ut vulgò dici solet, sine reliquiis, sed viri id incolant virtuosos, docti in vario scientiarum genere, omnique Christianâ ac decente politia exculti; & maxime in eorum præsidibus nil minus culti aut subrustici appareat. Sic enim & in religionem ipsam, & in publicum multa ex talibus domibus redundabit utilitas.

*Castella, arces, munimenta, moenia, valla.*

**I**ter faciebat per civitates & castella prædicans  
& evangelizans regnum Dei; & duodecim  
cum illo. Luc. 8. Sic ad exemplum Christi &  
Apo-